

274

Lib. II. Cap. VIII.

possunt simul esse falsæ, e. g. *Omnis homo saluatur. N. homo saluatur.* Veræ autem simul esse non possunt, quia simul si veræ essent contrariæ, etiam simul veræ essent contradictoriæ, e. g. si hæ contrariæ: *O. homo est animal. N. homo est animal,* essent simul veræ: etiam hæ contradictoriæ: *O. homo est animal, Q. homo non est animal,* essent simul veræ: Consequentia patet. Nam in utraque oppositione prior propositio est vera: Si jam in oppos. contrar. altera quoque, nempe *N. homo est animal,* est vera, vera etiam est altera in contradictione, nempe *Q. homo non est animal,* quia sub illa universali negante continetur.

40. Nota 1. dicitur contrarias interdum posse esse simul falsas, nempe in materiâ contingente, ut patet ex allato exemplo.

41. Nota 2. per materiam hic non intelligi terminos in propositionibus contrariis, sed habitudinem prædicati ad subjectum, quæ sicut est triplex, ita quoque triplex est materia in propositionibus, necessaria scil. contingens & impossibilis.

42. Materia necessaria est habitudo prædicati ad subjectum, quâ prædicatum non potest non subjecto competere, ut, *Deus est justus, Spiritus est substantia.*

43. Materia contingens est, quando prædicatum subjecto competere & non competere potest, ut: *homo est doctus.*

44. Ma;